

restres: Sed excipit, eos esse λεγομένους, dictos, nominatenus & putatitios duntaxat Deos: Vnum autem saltem esse ὄντως ὄντα Deum, non qui dicatur, sed qui sit Deus.

38. Vnde evidenter colligimus, DEVM esse Vnum, non unitate logicâ Generis: quâ plures distinctæ species communicare solent: non unitate logicâ Speciei: quemadmodum Petrus Paulus, Iohannes, dicuntur unum esse specie, cum tamen interim non unus, sed tres sint homines: non denique Vnitate consensus aut Testimonij: quemadmodum in Actis Apostolicis una dicitur fuisse fidelium omnium Anima: & 1. Ioh. 5, 7. & 8. Spiritus Aqua & sanguis dicuntur esse Vnum in Terrâ: Sed unitate Numeri & Essentiæ.

39. Quia enim negari non potest, unum Iehovah apud Mosen, unam designare essentiam: hæc verò unitas loco Pauli iam citato τῆ πολυθεΐα Deorum multitudini opponatur: Consequens fuerit, Essentiæ multitudinem ex hoc mysterio simpliciter excludi.

40. Quò respiciens Iustinus Philosophus & Mar- Respon. ad
tyr. eis, inquit, ἐστὶν ὁ Θεὸς, τῆ μονάδι τῆς Quæst.
ἰστίας, χωρὶς πάσης διαιρέσεως καὶ δια- 129. f.
κρίσεως. 371.

41. Hæc unica Essentia Divina secundum Confessionis nostræ Symbolum, est & dicitur Deus
Hebræ-